

Q.K.  
428,  
40

Hh  
606

X 23A 6708

# ALTARIA VETERVM MONTES

QVIBVS ILLUSTRATIS

DIEM

## SERVATORIS IESV CHRISTI

NATALEM

PIE CLEBRANDVM INDICIT

M. GODOFR. AVGVSTVS LOBECK

SCHOL. CATHEDRAL. RECT.

---

IMPRIM. IO. GVIL. BOSSOEGEL, TYPOGR. FVND.




АГАТА  
ЗЕМЛЯНОЙ

СВЯТОГО АПОСТОЛА ПАУЛА ЧЕРДИКИ

СВЯТОГО АПОСТОЛА ПАУЛА ЧЕРДИКИ  
СВЯТОГО АПОСТОЛА ПАУЛА ЧЕРДИКИ

СВЯТОГО АПОСТОЛА ПАУЛА ЧЕРДИКИ



**R**editum sanctissimi illius diei, quo in his terris regnum illud, in aeternum duraturum, idque Nebuchodonosoro Dan. II. 34. 45. olim per somnium, sub specie lapidis, de monte sine manibus auulsi, ostentatum, coepit, VOBIS, SVAVISSIMI AUDITORES, indicturo, non a re plane alienum mihi uidetur, de religioso antiquorum hominum, in primis gentilium, cultu, aut in montibus ipsis, aut in altaribus, montium formam et altitudinem simulantibus, peracto, pauca praetari. Commentationem itaque habebitis, quae, opto, dum VOBIS *altaria veterum montes* sistit, piam in animis VESTRIS recordationem excitet altaris illius in monte Golgotha, in quo Jesus Christus noster se ipsum pro nobis dedidit fertum, hostiamque ad odorem suauem, Ephes. V, 2. sanguineque suo regnum illud aeternum stabiliiuit, quod inchoauerat, cum nasceretur ) ( 2 Innu-

Innumerabiles quidem superstitionis idolorum cultores haberunt Deos, quorum quisque solemnia desiderauit dona, neque aliena placatus est hostia: (a) attamen, ut puras atque lectas ipsi fecerunt victimas, ne, quae offerentis ferrent peccata, ipsae essent mancae atque mutilae; (b) sic etiam non ubi terrarum sacra haec peregerunt, sed locis, rei diuinæ dicatis. Cum autem porro quælibet ciuitas ex Deorum immanni multitudine sibi peculiares feligeret Deos, quibus ciues rerum suarum imponerent curam, atque ii potissimum, qui ex agris uiuebant, eo ubiores ex aruis suis sperarent prouentus, quo plures in eis numerarentur arae, et facile fidem inueniunt monimenta antiqua, innumerabilium pene altarium mentionem facientia, et, Ieremiam, Hoseamque non ὑπερβολικῶς locutos esse, patet, cum Israëlitis, a purioribus sacris ad profana male transfugis, exprobrant, tot apud eos esse aras, quot oppida, imo quot Hierosolymæ compita, Ier. XI. 13. & secundum multitudinem fructuum multiplicasse altaria, Hos. X. 1

Vitrunga (c) rationem huius in exstruendis altaribus furoris eandem nobiscum reddit, afferens, ex ararum structura et copia eos sibi colligisse rationem meriti apud Numen uerum et falsum, et Libanius (d) rem conficit, ψυχη, inquiens, τοῖς αὐγόνις τὰ ιερά, καὶ τοῖς γεωγύσσων ἐν αὐτοῖς αἱ εἰλπίδες. Eandemque ob causam non solum Seruius Tullius, per singulos pagos aras Diis tutelaribus dedicari, eosque communibus sacrificiis quotannis coli, iussit, (e) sed etiam Jouem quendam Paganicum summo habitum esse in honore, ex lapide apud Gruterum (f) appetet: JOVI.

a) Virg. Aen. V. 49, IX. 624. Plin. H. N. VIII. 45. Aristot. Eth. IX. 2. V. 10. Rehn. Ant. rom. III. 33. Lamb. Bos. Ant. graec. VI. edit. Leisner. b) Lamb. Bos. I. c. Pfister.

Ant. gr. I. 14. Brunings Ant. gr. XXI. §. 8. c) Vitrunga. T. I. Comment. in Ef. p. 507.

d) Liban. in Orat. ὑπὲρ τῶν ιερῶν. e) Dionys. Hal. IV. p. 212. f) Gruter. p. XXI. n. II.

IOVI PAGANICO SACRVM  
ET INDVLGENTIA DOMINORVM  
SVCCESVS PVBLICVS MVNICIPVM  
ASISINATVM SER AMOENIANVS  
AEDEM CVM PORTICIBVS A SOLO  
SVA PEC FECIT ITEM MENSAM ET ARAM

In hac tamen tam ingenti altarium copia, quae, si non supereret, certe adaequat numerum ciuitatum atque uicorum, non possumus non omnium gentium communem, in eis erigendis, mirari consensum, in eo, quod, aut montes, aut montium instar eminentia et excelsa, crediderint, oportere esse altaria.

Sacri scriptores, Iudaeos profani cultus arguentes, loci editioris plerunque faciunt mentionem, & Hoseas cap. XII. com. 12. in illis suggestus, quibus honores adolescent, exprobrat lapideos. Qui enim hic dicuntur tumuli per sulcos agri, hos non manipulorum & frumenti, sed lapidum facimus aceruos, ducti tam monte illo Galeedo, Gen. XXXI. 48. atque urbe Gallima. 1. Sam. XXV. 44. a lapidum copia isthaec nomina fortis, quam urbium ruderibus, quae eodem ueniuunt nomine, II. Reg. XIX. 25. Es. XXV. 2. Ier. IX. 10. L. 37. & aceruis istis, quibus cadauera lapidibus obrutorum, Achanis Ios. VII. 26. & Absolomi. II Sam. XVIII. 17. tecta iacent. Ex lapidibus itaque uiuis, iisque rudibus, aras struebant Judaei aequae, ac gentes aliae, quarum alias citat Spencerus, (g) quibus Argonautas addimus illos, quos, sacra obituros, & frondibus quernis coronatos, lapides missiles coaceruasse, dicit Apollonius; (h)

Βαμὸν δ' αὖ χεράδος παρενήνεον, αἵ μ. Φί δὲ Φύλωις  
Στεφάμενοι δρυῖνοισι θυηπολίης ἐμέλοντο.

X 3

Cum

(g) Spencer. de Leg. Hebr. Rit. II. 2. Sect. 2. (h) Apoll. Rhod. Argon. I. 1423. conf. Pfeif. I. c. I. 37.

Cum autem, qui lapides istos, nulla arte politos, legebant, nec ordinem semper seruarent, nec formae iustae haberent rationem, altaria habemus uariae magnitudinis, quae illis cum apud Ebraeos, tum apud Graecos nomina indidisse sua uidetur Vossio, (i) a cuius sententia non aliena sunt, quae de Graecorum altaribus Pfeiferus (k) refert: Βωμός, scribens, est τὸ ὄνοδόμημα, ἐν ᾧ ἔθυον, ἡ ὁ ὑψηλός τόπος, quod interpretari uidetur illud Eustathii (l) Βωμός εἶτι ητισμά τις ἀπλῶς καὶ αὐάσημα. De Latinorum altaribus eo minus nobis est dubitandum, quo clarius, ex ipsius uocis notatione, eorum altitudinem cognoscimus. Seruius (m) enim, altaria ab altitudine nominata, asserit, & Praecl. Leisnero, (n) cuius institutioni, magnisque de me meritis immortales ago, habeoque gratias, altaria quasi altae aras dicta sunt. Si uero ad exteris abire lubeat gentes, etiam in his terrarum regionibus altas inueniemus aras, &c. cum temporis, rerumque nostrarum ratio prohibeat, quo minus, per totum terrarum orbem peragrantes, illas eruamus omnes, perlustremus tantum ueteris Germaniae fines, & audiamus, quae Arnckiel (o) tradit: Bey den Unserigen, narrans, waren die Altaere gemeinlich unten an dero Wurzel des Berges mit grossen Steinen rund umber besetzt, oben aber drey oder noch mehr groesere Steine aufgerichtet, und darüber ein sehr grosser breiter Stein gelegen, darauf man geopfert. - - - Sonsten waren auch die Altaere aus einem ganzen grossen Stein oder Felsen

Sed neque altitudo qualiscunque, aut mediocris religioni omnium, altaria exstructorum, faciebat satis, incredibile potius dictu est, quantas moles nonnulli erexerint. Diodorus Siculus (p) refert, Syracusis ab Hierone rege exstructam fuisse aram

(i) Voss. in not. ad Maimonid. de idolol. p. 6. (k) Pfeifer, I. c. (l) Eustath. ad Hom. Odys. H. (m) Serv. ad Virg. Ecl. V. (n) Leisner. ad Bos. Ant. gr. VII. (o) Arnck. de Rel. Cimbr. c. 30. Caluör. Ritual. Ecl. P. II, Sect. I. 14. §. 6. (p) Diodor. Sicul. Bibl. XVI. XVII. II.

aram, per stadii longitudinem excurrentem, latitudine et altitudine ita inter se comparatis, ut proportione coniunctae sint, τὸ δὲ ψεῦτος, καὶ πλάτος ἔχοσαν τέτων πατὰ λόγου, et Alexandrum in termino expeditionum suarum extremo duodecim struxisse aras πεντήκοντα τηρχῶν; atque Simandrii regis monumentum exhibens, ait, in medio peristylio fuisse aram sub dio ex lapide pulcherrimo exstructam, excellentes artis, et admiranda magnitudinis: πατὰ δὲ μέσον τὸν περίειστον ὑπαίθριον βωμὸν πατεσπενάθαι, τῷ παλλίνῳ λίθῳ, τῇ τε χειροεργίᾳ διάφορον, καὶ τῷ μεγέθει δαυμασόν. Deinde his annumeremus illa, quae ruinis suis inter Germanos sepulta iacent, altaria, quae eximiae plane magnitudinis fuisse, ex lapidum dirutorum aceruis coniicimus; et si rudera haec nihil habere uelimus, in Arnkielis Religione Cimbrica aram, ingentibus lapidibus exstructam, conspiciemus, quam his describit uerbis: *In Seeland sol ein solcher anscheinlicher Altar auf einen Berg bey dem Dorse Birck bey der Heerstrasse noch vorhanden seyn: daselbst stehen drey Hügel unten mit einem Quadrat-Steinen-Kraiss umgeben, ein ieder Hügel ist auch vor sich mit Steinen eingeschlossen, der mittelste aber ist oben auch mit einen Steinkranß umzircket, und in demselben vier ungeheure grosse Steine ausgerichtet, und darüber ein grosser breiter Stein. Es scheinet, dass dieser Altar des Thors gewesen.* (q) Huc tandem referendae sunt, ex sententia Spenceri, (r) Aegyptiae illae Pyramides amplissimae, quarum uertices non nisi per innumerabiles gradus attingere potuerunt, et de quibus Kircherus apud eundem haec habet: *Cum Aegyptius humilis esset, et montibus careret, locumontium adiuuenorunt excelsa illa Pyramidum et Obelisco-rum, quos proprio nomine appellabant, Deorum columnas, seu aras, ad quas per gradus ascendebatur*

Insi-

(q) Calvör. I. c. cap. 15. §. 4. (r) Spencer. I. c. II. 7.

Insignis autem haec, quae montium fere exaequat, altarium altitudo, quo minus ipsis nomen montium vindicet, ut nihil obstat uidetur; sic illa nobis ambiguum non relinquit, quin, si splendorem, reique diuinæ dignitatem non attendamus, originem debuerit consuetudini, in ipsis sacrificandi montibus, rei diuinæ, ex opinione gentium, ab auctore destinatis, ut quemlibet montem inde dignum habuerint, qui mons Iouis appellaretur, ideoque excelsis numinibus in excelsis locis operari amarint. Πᾶν δὲ ὁρός, scribit Melanthes in libro de sacrificiis, τὸ Διὸς ὁρός ὄνομα γέται, ἐπει  
 ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ψήσωντι τῷ θεῷ εὐψειδυσίας ποιεῖσθαι, (s) et inter primos Deorum cultus, auctore Eschenbachio (t), non insimus fuit ararum, non illarum tamen arte exstructarum, sed naturalium, locorum nimirum editorum. Eiusdem quoque sententiae sunt Vossius atque Struuius, quorum ille, (u) prima, ait, loca ad cultum fuerunt montes et hic, (x) luci, inquit, olim numinum templa, priscoque ritu simplicia rura Deo, praecellentem arborem, uel montium cacumina dicabant

Est haec non scripta, sed nata quasi lex, ut, qui Deum supplices adoramus, hunc in coelis quaeramus, et, qui illud sumnum Numen pie ueneramus, manus, oculosue ad sidera, uotis nuncupatis, tollamus, nec quemquam fugit, ex diuino cum hominibus commercio optima in genus humanum redundare commoda. Verum enim uero, cum noua superstitione antiquae isti legi obrogaret, gentes profanae, non precibus ex imo pectori missis, sed citatis pedibus, coelo appropinquatura, altissimum quemque concenderunt montem, quo Deos coram conuenirent, et eo citius uotorum ab illis participes redderentur, parum a coelesti sede remotae. Ex religione itaque, si qua fuit, insita, eos, teste Tacito, (y) maxime locos propinquare coelo, preceque mortalium nusquam proprius audiri, putantes, in montibus Diuis

operati

s) v. Pfeifer. l. c.

t) Eschenbach. Disserr. Acad. Diff. III. §. 5.

u) Voss. l. c.

Struu. Ant. Rom. Syntagm. cap. XL.

x)

Tacit. Annal. XIII.

operati sunt, eosque pro altaribus habuerunt. Quum quoque inter omnes constet, maiorum, minorumue gentium Deos montium, quorum custodes habebantur, amasse uertices, & in his saepius apparuisse, remque habuisse suam, quin imo Deos quosdam Montenses fuisse, (z) isti superstitionis homines non eam tantum ob causam montes petebant, ut preces eo facilius ad aures Deorum peruenirent, sed etiam ut iisdem locis, qui maxima Deorum frequentia celebrarentur, sacra, ipsis arbitris, facerent, illisque montium dominis honorem redderent debitum. Hunc tamen illis iure meritoque negat uates regius. Ps. XCV, 4. Soli Deo magno, & omnium Deorum regi penetralia terrae, & montium altitudines vindicans, Theodoreto interprete: Ἀυτὲς εἰσὶ καὶ τῶν ὁρῶν νοεῦσαι οὐδὲν μυριάνις οἱ δάμμονες πείθωσι τῶν ἀνθρώπων τὰς ἀνοντάς εν τάπτοις αὐτοῖς τὰ τεμένη πηγανύναται.

Eam esse infiniti uniuersitatis rerum conditoris naturam, quae nullis techorum angustiis possit coerceri, ipsa docet sana ratio, & qui uelit homo ei, qui coelum sedem suam, & terram scabellum pedum suorum dicit, domum parare, immensis eius uirtutibus dignam? Non esse parietibus includendos Deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset, & domus, dicit Cicero, (aa) magos Persarum statuisse, auctoresque fuisse, ut Xerxes templum Graeciae inflammaret. Hinc gentes, idolis suis diuinis tribuentes proprietates, illis, teste Hospiniano, (bb) nulla erigunt tempora, sed omnem eorum usum, ceu alienum a maiestate diuina respiciunt, & Tacitus de Germanis afferit, nec cobibere parietibus

( )

ribus

(z) Conf. Cl. Bidermann. de Montibus Musarum domiciliis. Deyling. Obseru. S. Obs. XII. P. III. Eischenbach. I. c. Spencer. I. c. III. 2. Secdi. 2. Spanhem. ad Callimach. Hym. in Dian. p. 145. seq. & p. 370.

(aa) Cic. de Leg. II. II. (bb) Hospin. de Templ. I. I.

tibus Deos, neque ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine coelestium arbitrantur. Zenonem, Stoicorum patrem, Deos templis interdixisse, *ιερὰ θεῶν μη ὄμοδομέν*, praecipientem, ab eodem Hospiniano percipimus, idem de aliis gentibus simul referente; & cum Romani, si fides Varroni habenda, centum, & septuaginta primis annis, ritu Persico, templis, simulacris, Deorumque statuis caruerunt, uel saltem, Numae temporibus, idola erecta, templaque constituta ignorarunt, (cc) colligimus inde, cum Dempstero, *numina aut in siluis seu lucis, aut in montibus fuisse ab antiquis culta*

Quemadmodum autem iste d.l. hunc morem Indis, Graecis, Getis, atque Dacis fuisse, asserit, & Seruius (dd) Orgista, Bacchi sacra, uel *ἀπὸ τῆς ὁργῆς*, quia Bacchae furore agitatae bacchantur, vel *ἀπὸ τῶν ὅρων uocata* dicit; sic etiam de Bithynis tradit Hospinianus, (ee) eos adoraturos cacumina montium petuisse, & sine templis Iouem Pappam salutasse, sicut Scythes Pappeum; & Appianus (ff) de Mithridate refert, hunc, pulso Romanorum duce, Murena, Ioui Bellatori, more patrio, uictimam fecisse in excelsi monte, lignis, quibus ea imponeretur, congestis: *ἔθυε τῷ σφατίῳ Δῖi πάτειον θυσταν ἐπὶ ὅργες υψηλᾶς, πορνφήν μείζονα ἀπὸ θύλων ἐπιτιθείς.* Itemque testatur Herodotus, (gg) Persas, rebus diuinis operam datus, nec templa, nec statuas, nec aras erexisse, sed, editissimis quibusque montibus consensis, Ioui hostias immolasse, *οἱ δὲ, scribens, νομίζοσι, Δῖi μὲν ἐπὶ τὰ υψηλότητα τῶν ὡρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν.* Ebracos autem, numina falsa in montibus colentes, ex more horum

(cc) Tertullian. Apolog. cap. 25. Dempster. ad Rosin. Ant. II. 2. (dd) Seru. ad Virg.

Aen. IV. 302. (ee) Hospinian. 1. c. (ff) Appian. de Bell. Mithrid. P. I. p. 362.

(gg) Herodot. Histor. I. 131.

horum populorum , altaribus abstinuisse , quamuis afferere non ausim , ipsis sacris scriptoribus his de altaribus montanis exprobrantibus , eundem tamen morem illis plane denegare nolim . Cum enim haec gens , discessione a uero Numine facta , a sacris quoque Persarum quaedam mutuauit solemnia , rituque in primis eorum equos soli sacravuit , 2. Reg. XXIII. II. & , nescio quo loco , legisse memini , illam a Persis etiam hanc in montibus sacrificandi consuetudinem accepisse , ueritati omnino conuenire uidetur , non in omnibus excelsis , quorum diuinae literae hanc gentem insimulant , locis exstructa fuisse altaria . Moris itaque ueterum gentium cum fuit , ut in montibus , nullo quamuis altari ornatis , uota apud Deos nuncuparent , atque uictimas his mactarent , dubito , fore , qui *altaria ueterum montes* , ferre nolit , ipsa re sacra hos eo nomine condecorante

Ceterum negari nequit , non idolorum tantum cultores , sed & eos , qui uero ueri Dei cultu , ante Christum natum , imbuti erant , montes plerunque , in re sacra , planitiei praeferre consueuisse , imo Deum ipsum , quotiescumque fere hostiam a quopiam seruorum suorum posceret , & ita , ut locum quoque praescriberet , montem nominasse , cuius rei complura in sacro Codice extant exempla , quorum imitatione inter gentes profanas malus genius , ut pluribus aliis , appellationem simiae Dei forte meruit

Deo fint gratiae , quod nos in ea tempora uenimus , quae Christus uentura , mulieri illi Samaritanae praedixit ; aduentat hora , inquiens , cum nec in monte hoc , nec Hierosolymis Patrem coletis Ioh. IV. 21. Felicia tempora ! in quibus Deo sacrificaturis nec hostia circumspicienda , nec altare construendum , nec mons aliquis petendus est , Deo nil , nisi spiritum & ueritatem , a cultoribus suis desiderante . Et VOS  
ita-


AK 77 606

XII

itaque, DISCIPULI CARISSIMI, libertate utimini, in  
quam VOS Christus uindicauit, Deum animo & uere co-  
lentes, & praecipue magnum HVNC DIEM, qui adest, NA-  
TALEM IESV CHRISTI, natalem etiam nostrum omnium  
salutis, sancto animi ardore ut pie peragatis, recte curate.  
Cauete etiam per omnem uitam, ne unquam ad eos montes  
confugiatis, quos Ieremias III. 23. mendaces uerissime appelle-  
bat, eo, quod spem in se positam turpiter fallant; sed imita-  
mini potius Dauidem, Ps. CXXI. I. ex unoquoque quaeren-  
tem, num ullo unquam tempore extulerit oculos ad montes?  
& palam profitentem, a solo Domino sibi ferri opem. Huc  
itaque & VOS accurrite, & in primis his tam festis diebus  
duplicata mentis contentione, et fiducia, non VOBIS solum  
sapientiam την ἀνωγειν, sed et PATRIAE pacatoria, et tranquil-  
liora tempora, PATRIQUE AVGVSTISSIMO  
PATRIAE uitam longaeuam, felicitatemque omnibus  
suis numeris absolutam, VRBI huic dilectaque in primis nostraræ  
scholæ Cathedralis SORORI, quæ intra moenia floret, immuni-  
tatem a belli incommodis et turbis, FAVTORIBVS et  
PATRONIS VESTRIS, MEISQUE beneficio-  
rum, in nos collatorum, largissimam compensationem, orbi  
denique annum eo, qui uergit, feliciorem precamini, non  
dubitantes, et VESTRAS preces, dummodo ex corde puro  
profiscantur, aliquid apud Deum ualitas. Scribeb.

XXV. Decemb. A. R. S. c/o 1000





X 23A 6708

H h  
606

# ALTARIA VETERVM MONTES

QVIBVS ILLVSTRATIS

DIEM

# SERVATORIS IESV CHRISTI NATALEM

## NATALEM

PIE CELEBRANDVM INDICIT

M. GODOFR. AVGVSTVS LOBECK  
SCHOL. CATHEDRAL. RECT.

IMPRIM. IO. GVIL. BOSSOEGEL, TYPOGR. FYND.

